

agmina, - trinis celebratur viis - festum sacrorum Martyrum. - Prodire quis mundum putet! - concurrere plebem poli! - Electa gentium caput - Sedes magistri gentium! » Ex quibus patet praerogativas Primatus Petri ad Romanam Ecclesiam spectare iuxta Ambrosium. Hieronymus ad Damasum epist. XV. « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, *Beatitudini tuae*, idest *cathedrae Petri* communionem conso-cior. *Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio...* Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, *quicumque tecum non colligit, spargit*: h. e. *qui Christi non est, Antichristi est*. » Scilicet cathedra Damasi distincta a cathedra Meletii aut Paulini aliorumque est cathedra Petri, ea porro est supra quam Ecclesia fundata est, cui qui adhaeret, Christi est, qui non adhaeret, Antichristi; est ergo Cathedra Petri prout ipse Caput est totius Ecclesiae. Augustinus epist. CLXII monet in Romana Ecclesia Apostolicae cathedrae semper viguisse *principatum*, qui non est nisi primatus Petri. Chrysologus ad Euthychem: « In omnibus hortamur te ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam *b. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem*. Nos enim pro studio pacis et fidei *extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus*. » Sedes ergo Romana est sedes propria Petri, in qua ipse semper vivit et praesidet prout est doctor universalis supremusque iudex in causis fidei. In formula proposita a R. P. Hormisda et subscripta ab Episcopis Orientalibus affirmatur non posse praetermitti sententiam Domini dicentis: tu es Petrus etc. idque rerum probari effectibus quia in Sede Apostolica (Romana) immaculata est semper servata religio. A qua proinde fide nolunt Episcopi separari, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. Ennodius episc. Ticin. (in libel. apolog. pro synodo in causa Symmachi R. P.): « Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sed istius (sedis) praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri successores coelo tantum debere innocentiam... Replicabo uni dictum: Tu es Petrus etc. et rursus sanctorum voce Pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est ubique submittitur dum totius corporis caput esse designatur. » Sergii Cypriensis Episcopi epist. lecta in Later. Conc. sub Martino I, Secret. 2° quae missa fuerat ad Theodorum R. P. incipit: « Firmamentum a Deo fixum et immobile atque formam lucidissimam fidei vestram apostolicam Sedem, o sacer vertex, constituit Christus. *Tu es enim, sicut veraciter pronuntiat divinum Verbum, Petrus, et*

super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt. Tibi et claves regni caelorum commisit, etc. » Ita et Theodorus Studita ad Paschalem R. P. (epist. L. II. ep. 12). « Audi apostolicum caput... petra fidei supra quam aedificata est catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri sedem exornans et gubernans. » Ergo sunt eadem praerogativae Petri et Romani Episcopi. Ita et Concilia eandem sententiam manifestant. Patres Concilii Ephesini Act. I. testantur se per sacros Canones et *epistolam Patris sui et comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi coactos* proferre sententiam contra Nestorium. Agnoscebant ergo in Romano Episcopo eam supremam potestatem quae propria fuit Petri. Et Act. III. Philippus Apostolicae Sedis Legatus, nemine refragante, aiebat « Petrum Apostolorum principem, fidei columnam et Ecclesiae catholicae fundamentum, qui claves regni accepit... *ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus* (loquebatur de Episcopis Romanis) *vivere et iudicium exercere*. » Patres vero Synodi VI. lectis literis Agathonis exclamarunt *per Agathonem Petrum esse locutum*. Id in Conc. Lugdunensi II oecumenico professus est Michael Palaeologus, *Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in b. Petro, cuius Romanus Pontifex est successor, recepisse*. Idem definitum in Conc. Florent. « *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput etc.* »

Ex quibus testimoniis illud etiam constat an vere affirmaverit Dr. Langen (op. cit. P. I, §. 7) neminem ex Patribus usque ad Gregorium M. retulisse verba Christi Matth. XVI, 18. seq. ad successores Petri, exceptis ipsis Romanis Episcopis, et qui ad eos scriberent assentationis gratia, inter quos eminent Hieronymus. Nam Chrysologus, Ennodius, omnesque Episcopi orientales subscribentes formulae Hormisdae, et Episcopi Ephesinae synodi probantes verba legati Pontificis ad neutram ex iis classibus spectant. Ceterum quo iure Dr. Langen reiicit testimonia Romanorum Episcoporum? Nonne et ipsi inter testes traditionis suscepti semper sunt ab Ecclesia? Tum in verbis Cypriani, Optati, Ambrosii, Irenaei nonne est implicita quidem sed manifesta applicatio verborum Christi ad Episcopos Romanos?

Porro ex his liquet quoque consensus Ecclesiae in id quod prius dicebamus, nempe factum illud Petri determinasse modum successionis: Romanus enim Pontifex successor in Primatu Petri habetur, quia sedet in cathedra Petri, quam Petrus fundavit, suoque sanguine

consecravit; ut etiam aiunt Patres Vaticani Sess. IV. c. 2. Nam statuto quod Petrus Romanam Sedem fundaverit, et suo sanguine consecraverit (tenuit nempe usque ad mortem) concludunt: « Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. » Factum ergo illud Petri conditionem statuit successionis in Primatu.

IV Nunc probandum est Romanum Episcopum iure divino succedere Petro, sive obtinere *iure divino* Primatum in universam Ecclesiam. Itaque ut quis dicatur iure divino succedere, sufficit ut ius divinum determinaverit successionem, voluerit nempe semper esse qui Primatu Petri aucti essent; tunc enim qui succedit Primatumque obtinet, ideo succedit et Primatum habet, quia Deus vult; et illud quod proprium est successionis in se spectatae, fit proprium illius, qui conditionibus successionis facit satis. Fac enim e. g. ferri legem quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius ceteris antecellit, munusque obtinet. Quo iure? iure legis. At lex Titium non respicit, sed in genere digniorem. Profecto: sed posita conditione, quae in solo Titio reperitur, illud ius, quod lex digniori concedebat, totum penes Titium eumque solum existit. Iam vero lata est lex divina: Petro in primatu succedere quis semper debet, sive aliquis semper Primatum collatum primo b. Petro gerere debet, quis vero ex tot, qui possent, actu succedat determinatum est facto originali Petri; conditioni proinde satisfacit solus Romanus Episcopus: illud ergo divinum ius successionis in Romano Episcopo eoque solo reperitur.

Sane ius Primatus non ab Ecclesia proficiscitur, quae nec Primatum instituit, neque eius perennitatem; non ergo iure Ecclesiastico Primatum obtinet Romanus Pontifex. Nec idem ius collatum est ab aliqua potestate humana, cum sit ius supernaturale potestatem quamvis naturalem vel regiam excedens: restat ergo ut iure divino Romanus Episcopus succedat in Primatu Petri, eadem ac ipse auctoritate insignis.

Haec est Ecclesiae doctrina. Id enim testatur sive cum pro affirmandis iuribus Romanae Sedis provocat immediate ad verba Christi dicta Petro, atque cum Patribus Conc. Florentini *Romano Pontifici fuisse a Christo Domino in b. Petro traditam potestatem regendi* etc. sive cum diserte docet esse Romanam Ecclesiam ab ipso Deo auctam suprema potestate. Ita Gelasius in Conc. Romano 1^o De libris sacris authenticis et apocryphis (Migne P. L. LIX pag. 159). « Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit. » Iulius vero ad Orientales scribens (penes Grego-

rium VII. Epist. L. VIII, ep. 21). « Decuerat vos fratres adversus sanctam romanam et apostolicam ecclesiam limate et non ironice loqui: quoniam et ipse Dominus noster I. C. *eam decenter allocutus ait*. Tu es Petrus... et tibi dabo claves regni caelorum. *Habet enim potestatem singulari privilegio concessam* aperire et claudere ianuas regni caelestis quibus voluerit. » Nicolaus I. epist. VIII ad Michaellem. « Privilegia illius (romanae) Sedis vel ecclesiae perpetua sunt, *divinitus radicata atque plantata sunt*. » Petrus Damiani oratione habita ad mediolanenses schismaticos. « Ceteras ecclesias, cuiuscumque dignitatis exstiterint, ille qui instituit homo quidem purus erat: *romanam vero Ecclesiam solus ille fundavit et super petram nascentis fidei exstruxit, qui beato clavigero terreni simul et caelestis regni iura commisit*. Illius ergo privilegio Romanus Pontifex fungitur, *illius auctoritate fulcitur*. » Eamque Ecclesiam « *disponente Domino* super omnes alias ordinariae potestatis obtinere primatum » testatur Concilium Lateranense IV cp. 5. Hinc disce quomodo accipiendae sint quaedam formulae, quae videntur a Conciliis derivare hanc potestatem. Concilia scilicet auctoritate sua infallibili sanciant hanc veritatem. Hancque esse omnium christianorum sententiam docet Lanfrancus Episc. Cantuariensis in Synodo anglica. « Quando D.N.I.C. dixit Petro: Tu es Petrus etc. potuisset adicere, si voluisset: eandem potestatem successoribus tuis concedo. Verum dicti praetermissio nihil reverentiae imminuit successoribus Petri... Enim vero omnium christianorum conscientis est inditum ut nihilo minus quam b. Petro, successoribus eius et minantibus attremant, et serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant; estque tum demum omnium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata iudicio. *Quid illud agit, nisi vis divinae liberalitatis per Dominum Iesum a b. Petro in vicarios eius diffusa?* »

Itaque Romanus Episcopus successor est Petri in Primatu iure divino. Successor, inquam, quamvis enim identidem a nonnullis vicarius Petri appelletur, ut in testimonio mox citato Lanfranci; manifestum est tamen eam vocem minus proprie sumi, ac valere successorem. Vicarius enim Petri dicitur quatenus locum Petri tenet Episcopus Romanus, at non auctoritate a Petro sibi delegata, sed auctoritate delegata Dei per Petrum sibi transmissa regit Ecclesiam. Porro vox *vicarius* eo sensu quoque usurpatur penes latinos.

V Cum quaeritur quo iure Romanus Episcopus succedat Petro, potest duplex quaestio institui. *Quaestio absoluta*: quo iure Romanus Episcopus faciens satis conditioni successionis obtineat Primatum Petri: *quaestio comparativa*: quo iure ipse potius quam alius Episcopus succedat Petro in Primatu. Prior est ea quam iam solvimus in

hac thesi, ideoque patet quid respondendum sit. Alteri quaestioni non omnes eodem modo respondent. Plures enim iique nobilissimi Scholastici respondent iure divino Romanum Episcopum prae ceteris succedere, quatenus voluntate Dei factum est ut Petrus Episcopatum Romanum susciperet, in eoque relinqueret iura Primatus. Alii respondent Romanum Pontificem succedere iure, ut ita dicam, Apostolico dimanante scilicet ex facto originali Petri, qui per se potuisset alteri cathedrae iura Primatus alligare. Nobis haec altera responsio negans quodlibet ius divinum non satis probatur, et prior potius placet: quod ut declarem, quia res est magni momenti, insequentibus theses statuimus. Interim advertimus quid statuunt ii qui alteram responsionem amplectuntur. Aiunt nimirum quod etsi ex facto Petri effectum sit ut successor eius sit Romanus Pontifex, non tamen sequitur quod ius illud, quo gaudebat Petrus determinandi modum successionis, vigeat quoque in suis successoribus; hoc enim ius ad ipsum spectabat quatenus ipse erat *primus*: totumque ius exhaustum est exercitio Petri. Verum aliquid amplius dici posse ex duabus thesibus sequentibus patebit, in quibus directe cum catholicis disputamus.

THESIS IX.

Quod prae ceteris Romanus Pontifex is sit qui Petro in Primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia; nihilque obstat quominus haec veritas revelata censeatur.

I. Sane ad primum quod attinet inter dogmata credenda sancita a Florentinis Patribus istud est: « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. » Iam vero subiectum huius definitionis est directe ipse Romanus Pontifex. Porro hac definitione non affirmatur solum quod ex institutione Christi debeat esse semper qui Petro in Primatu succedat, nec solum quod ille, qui facit satis conditionibus successionis, iure divino obtineat Primatum; haec enim potius implicite dicuntur: sed immediate et directe enunciatur quinam ille sit qui Petro in Primatu succedit, quaenam sit illa sedes in qua Primatus viget, nempe Romanus Pontifex, eiusque sedes quae Apostolica nuncupatur. Hoc ergo definitum est; ideoque credendum. Quod vero infallibili Ecclesiae

definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est in Ecclesia immutabiliter verum; et sicut verum fuit antea quod Romanus Episcopus teneat Primatum, ita credendum semper erit in posterum: nunquam enim falsa evadet definitio Florentina.

An putabimus terminum complexum *Romanus Pontifex* supponere pro eo qui auctus sit Primatu ita ut idem sit ac si diceretur: *Episcopus obtinens Primatum vel Romanus Episcopus quatenus obtinet Primatum?* At haec suppositio subiecti propositionis excluditur ab eiusdem praedicato: secus enim definiretur Romanus Episcopus tenentem Primatum tenere Primatum; quo nihil ineptius.

An ea definitio quod R. P. in universum orbem teneat Primatum est intelligenda cum hac limitatione, quando scilicet ipse facit satis conditionibus successionis, quae tamen per se mutabiles sint, quibus proinde mutatis alius sit Primas, ita ut Romanus Pontifex non formaliter accipiatur, sed materialiter prout ille est qui heic et nunc facit satis conditionibus successionis? Verum haec limitatio multiplici via excluditur. 1° Quia hac posita limitatione non obstaret definitioni quod ea hypothesis mutationis conditionum successionis verificari posset; atqui reapse id obstat definitioni; ergo ea limitatio nequit admitti. Probatur minor; quia si haec hypothesis verificaretur, falsa simpliciter evaderet secundum id quod dicitur in recto definitio florentina, quae directe definit Romanum Pontificem eum esse qui tenet Primatum: id porro obstat definitioni quod facit ipsam esse falsam. 2° Excluditur, quia definitione florentina non solum definitur Romanum Pontificem tenere Primatum, sed et directe definitur Romanum Pontificem succedere Petro h. e. Romanam cathedram esse cathedram successionis in Primatu; ergo semper eius Episcopus unusque ipse successit et succedet; ergo nullus alius potest unquam aut poterit facere satis conditionibus successionis propter quas obtineat Primatum. 3° Excluditur a doctrina Concilii Vaticani quae est declaratio definitionis florentinae. Sane in can. capituli 2. Sess. IV duo distinguuntur: « Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius C. D. institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem; anathema sit. » Priore propositione statuitur ius divinum perpetuae successionis, et perpetua existentia successorum; altera statuitur subiectum huius successionis in Primatu, diciturque esse Romanus Pontifex. Cuius alterius propositionis sensus, etsi per se satis constet, liquet etiam evidentius ex praecedente doctrina, cuius canon est synopsis. Praestito enim in praecedentibus facto foundationis Sedis Romanae per Petrum qui eam suo sanguine consecravit, et in ea iugiter vivit: